

† R. P. Iosephus Pernet (1868-1946)
(Prov. Lugd.)



Quotannis festo S. Ioannis B. de la Salle in Breviario legimus verba S. Ioannis Chrysostomi: « Quid maius quam animis moderari? quam adulescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuorio ceterisque huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuvenum animos fingere non ignoret ».

Talis artifex fuit P. Iosephus Pernet, qui per undeviginti annos continuos (1893-1912) in iuvenatu Uvrier fuit Lector, primum Ordinarius classis quartae, postea classis humanitatis, denique classis rhetoricae, ac fere tamdiu « Socius » pro sectione « seniorum »; in se-

nectute per triennium (1930/33) Rector studentatus Atterr, per sexennium (1936/42) ibidem et in nova sede Sousceyrac clericorum Praefectus spiritualis, denique paulo ante mortem in Saint-Etienne iuvenistarum Pater spiritualis. Etiam cum secundo fuit Rector Monte Albano (1933/36), ibi formandae iuventuti allaboravit in novo illo iunioratu.

Sic optime meritus est de nostro Instituto, et numerosi illi sodales ab eo formati una voce confitentur P. Iosephi Pernet memoriam penes se in benedictione esse: ab eo quippe se didicisse non solum puritatem linguae latinae ac praesertim patriae, non solum gustum litterarum et eloquentiae praecelta, artem quoque pronuntiationis, sed etiam sincerum amorem Congregationis eiusque Fundatoris ac solida vitae religiosae principia.

Pertinet itaque defunctus confrater certe ad illos viros eminentiores, quorum memoria in nostro Commentario officiali posteris transmittenda est. Verumtamen, postquam eius vita anonyma iam typis mandata est nec adeo brevis (pp. 55 typorum minusculorum), hic breves esse possumus.

Iosephus Pernet, sicut eius frater germanus P. Eduardus Pernet, Vocalis Capituli gen. 1921, olim Vice-Provincialis Peruviae, hodie Rector studentatus Santa Filomena (de quo vide *Analecta* h. a., fasc. 3, p. 99), erat Lotharingus ex oppidulo Tomblaine prope Nanceium, ubi natus est 2 Oct. 1868. Eius pater quondam habitum Fratrum Scholarum Christia-

narum induerat, sed ante votorum professionem quoddam « matrimonium leviratus » contraxerat cum fratri defuncti vidua, ut matri aetate projectae ac pariter viduae succurreret. Duo primi fructus huius matrimonii vere christiani, qui in paterna domo nil viderant nisi pietatem morumque probitatem, a Deo ad S. Alfonsi familiam vocati sunt eique semper decori fuerunt.

Iosephus noster existimabat piam genetricem suam sibi gratiam vocationis efflagitasse a Domina N. de Sion, cuius Sanctuarium mater frequentabat. Restitit quidem filius per aliquod tempus iuvenili levitate, donec ultimum impulsum ei defletus P. Alf. George dedit¹ in missione exeunte a. 1879 in paroecia Tombblaine praedicata.

Iosephus duodennis cum sex aliis pueris 15 Apr. 1880 in Contamine se contulit, ubi tunc parvus iuvenatus Provinciae Gallico-Helveticae erat, atque inde cum toto iuvenatu iam 28 Iunii transmigravit in Rhodani vallem helveticam, ad Uvrier prope Sedunum, ubi quoddam aedificium grande, quod olim bombyces viderat mororum folia devorantes ac tunc ad pessimam condicionem reductum erat, a P. Provinciali Desurmont iudicatum est aptum pro Seminario minore suae Provinciae.

Ibi igitur Iosephus Pernet cum commilitonibus Sordet, Coornaert, V. Dubois, Lemette, Kécheur... transegit primos sex annos « heroicos », sub nota illa disciplina P. Directoris Victorini Hauger, plane segregatus a mundo, latinae linguae elegantias aliaque discens iuxta Rationem Studiorum S. I. saeculi XVII, in solida virtute institutus secundum principia veterum monachorum et Patrum deserti et, ut patet, S. P. N. Alfonsi. Ducebat ergo vitam partim duram, partim suavem gaudiis verae familiae, felix et contentus, et iam illis annis hausit ardorem illum amorem Congregationis, quem servavit usque ad extrellum halitum, quemque nobis pretiosam hereditatem reliquit.

Sicut humanitatis studia patriae exsul (per liberam utique electionem) peregerat, et in Helvetia quidem, ita tirocinium religiosum et altiora studia in Hollandia: novitiatum (1886/87) in Stratum, studentatum (1887/93) in Dongen. Pertinebat ad famosum « magnum cursum » viginti duorum iuvenum, quorum unus nunc superstes est, ex-Consultor Generalis R. P. Augustus Sordet, qui in domo novitiatus Gannat vivit.

Absolutis feliciter studiis et visitata breviter familia reversus est in Uvrier, non quidem ut discipulus, sed ut magister, uti iam dictum est, et illos undeviginti annos inter iuventam studiosam transactos semper felicissimos vitae habuit. Celeber auctor operis *Théorie des Belles Lettres*, Pater Longhaye S. I., in P. Iosepho Pernet revivixisse videbatur, adeo hanc Theoriam suam fecerat, facili negotio iuxta has normas suas ideas (sane non semper plane perspicuas) sive soluta sive numeris astricta lingua exprimens;

¹ Eius necrologum habes *Analecta XII* (1933), 178-180.

et perlibenter hanc iuvenilium mentium formationem continuasset, nisi P. Director Lanfrey (utique cum Superiorum consensu) a. 1912 et antiquum systema studiorum et collegium docentium funditus mutasset.

Noster ex-professor rhetoricae, annos iam natus 44, naviter sic coepit in solitudine novitiatus Goedenraad arma missionalia parare, dispensatus a secundo novitiatu, et vix horum armorum usum paulisper expeditiorem acquisivit in apostolico campo sua Provinciae, cum magnum bellum 1914/18 eum coegerit foris laborare in institutis educationis; sed Catalogus a. 1916 eum exhibet ascriptum communitati Montis Albani.

Huic communitati a. 1919 praeficitur per duplex triennium, et in eius discessu scribit chronista:

La communauté doit une grande reconnaissance au P. Pernet qui l'a gouvernée près de six ans, avec sagesse. Il lui a trouvé cet asile commode de l'ancien couvent des Pères du Calvaire; il laisse aussi un grand vide en ville où il s'occupait d'oeuvres multiples. Mgr Bouchard, vicaire général, est consterné de ce départ ¹.

Translatus in hospitium temporaneum Nanceiense, a. 1927 nominatus est Rector antiquissimi Provinciae collegii, a. 1845 conditi, scil. S. Nicolai a Portu prope Nanceium, ergo in sua patria strictius dicta, et cum nonnulli hanc vetustam domum bello graviter damnificatam relinquere vellent, novus Rector suo penes Rectorem Maiorem interventu eam nobis conservavit. Nunc pertinet ad Provinciam Argentoratensem.

Ut Superior P. Iosephus Pernet erat a subditis dilectus, utpote fortis in sustentandis ac vindicandis principiis nostrae vitae, at suavissimus in modo, semper satagens aliis vitam non duriorem, sed leviorem reddere. In missionibus praedicandis minus excellebat quam in exercitiis spirituilibus tradendis. Celebratatem quandam obtinuit eius sermo missionalis de morte et oratio festiva in iubilao aureo P. Provincialis Favre coram selecto auditorio pronuntiata.

De reliquis eius muneribus satis initio nobis dixisse videmur. Restat solum commemoranda fundatio hospitii Pyrenaeorum *Palau de Cerdagne* (1942) pro sodalibus phthisi laborantibus, quod a. 1945 ad *Ur* translatum est.

P. Iosephus Pernet, altae statura, macilentus, alpinista, diu bona valetudine frui potuit. Primus morbus gravis in eo se manifestavit hieme 1939/40 et nova infirmitas aestate 1945. Exacto anno senex 78 annorum, tunc communitati S. Stephani adscriptus, admirabili fortitudine unius cruris gangraena affecti amputationem sustinuit, ibique in nosocomio 17 Dec. 1946, post recepta pientissime ultima sacramenta ac vota Redemptoristae renovata, in pace Christi quievit.

¹ Notice nécrologique, p. 32.